

E libris

gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

T. q. 261.

DISSERTATIO PHILOSOPHICO-PHILOLOGICA

DE
METHODO SCIENTIFICA
 IN ADDISCENDIS PER ARTEM
 LINGVIS HAVD CONTEMNENDA
 ET DE
ANALYSI
VOCVM HEBRAEARVM
 LEGITIME INSTITVENDA

Q V A M
 A. D. G.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
 DOMINO

WILHELMO HENRICO
 DVCE SAXONIAE IULIA CIIVIAE MONTIVM ANGA-
 RIAE GVESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET
 WITTGENSTEINII RELIQUA
 CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
 SVB PRAESIDIO

FRIEDER. CHRISTIANI KOCHII
 PHILOSOPHIAE MAGISTRI
 TVEBITVR

SAMVEL HENOCH FRIDERIC. NEVBAVER
 SONNEW. SAXO
 SANCTIORVM DISCIPL. CVLTOR.

D. XII. MAI. A. C. LOCO CONSVENTO.

LENAE LITTERIS CROEKERIANIS, MDCC XXXX.

METHODO SCIENTIFICA
IN VIDE CONDENSANDA
TRIGONIUS HABET CONTINENDA

ANNA L Y S I
VOCAM HERBARIUM
LEGITIME INSTITUTA

REGALIA MAGNIFICENTISSIMA
SERVATA IN TRINCAE AD DOMINO
DOMINO
ANTONIO HENRICO
SAY LIBERDAD
CONSEJOS Y TUTEGO PONEN AY
MUY CORTESIANA COMITE SAVANE ET
DACE SAXONIAE LIVIAE GENE MONATIA MNC
ANTONIO HENRICO

FRIEDR. CHRISTIAN KOCHE
PHYSICO-MATHEMATISCHER
GARDEN.
SAMMEL-BEHNCOH HISTORIC NATURALE
GEMEINT VON DR. C. F. COHN
SODOMA. SAKO
CARTOL. CANTORI. CANTORI.



Q. D. B. V.

§. I.

Modus, quo plura simul adsumunt, et *dispositio* eorum, idem omnino inuoluunt.

SCHOL. Probe notes velim, nos terminum *disponere* alio plane significatu, eoque tamen Philosophis non minus cognito, accipere, quam, qui in locis quibusdam eidem tribuitur. Utuntur enim illo, quando in aliquo obiecto *proximus* ad aliquid actui reddendum perspicunt *principium*: atque erroneum omnino esset, ubi per nudam facultatem seu possibilitem, in qua remota existentiae demum ratio querenda est, vocabulum dispositionis declarandum sumeres. Inuoluit potius quoddam conatus initium, imo ipsi conatu non raro aequiparatur, ac tandem pro declaratione voluntatis ex usu philosophorum recepto venit. Exinde varia dispositionis genera intelligi queunt. Reflectas ad unicum casum, quando per accommodata negotia motiva quandam ad aliquid suscipiendum determinare studemus, neque animum a desiderii nostris ita alienum perspicimus, quibus ex moribus assensum suum vel statim praefentem, vel proximum tamen auguramus, tunc vulgariter is omnino est dicendus, si habe ihu dahn disponit, er ist geneigt. Per id probatum dedimus, quod conatu et inclinationi fere aequiparetur dispositio: quod vero de-

A 2

clara-

clarationem quoque voluntatis notet, discimus ex dispositionibus per testamenta confirmandis, quae sunt declarationes voluntatis eorum, qui testamenta condunt, et quem fugiunt iura domino competentia, quae ei integrum relinquunt liberrime sua re disponendi.

§. 2.

Si in pluribus occupamur, tunc, ut ea adsint, necesse est. Adesse, et quodam tamē modo, quicunque demum sit, minus adesse, ponit contradictionem. *Certum ergo est, quod plura illa, in quibus occupamur, modo quodam adsint.*

SCHOL. Si ideam certi euoluere luber, huncce terminum apprime hoc facere intelliges.

§. 3.

Certum igitur erit, quod plura, quae simili adsint, quandam habeant dispositionem (§. pracc. et 1.).

§. 4.

Idea plurium illorum, quae simul adsint, quia ad unum aliquod obiectum concurrere debent, determinare poterit modum, quo ea adesse debant. Quae per ideam rei insunt, ea necessario in obiectis illis concipiuntur. Hoc casu, *qualis sit plurium illorum, in quibus occupamur, dispositio, non a voluntate nostra pendet, nec igitur arbitraria, sed necessaria potius est.*

§. 5.

Quo interdum modo illa plura adsint, voluntati nostrae relinquitur (per exper.). Subiicitur, hoc respectu, arbitrio nostro, *quam eligere vellimus dispositionem, licet ei non subsit, vt aliqua eorum addit (§. 3.).*

SCHOL.

SCHOL. Haec igitur valent conclusiones: ut aliqua plurium, quae simul adsunt, sit dispositio, necesse est (§. 3.). Qualis vero, id vel pendet ab arbitrio nostro, vel minus (§. 4.5.). Hancce vocamus *necessariam*, illam *arbitrariam*.

§. 6.

Determinare dispositionem, vocamus, *collo-*
care generali significatu, et actus ille *collocatio*.

§. 7.

Differre poterit collocatio pro ipsa diuersa
dispositione (§. 1.), et pro diuersis principiis,
quae hancce dispositionem determinant.

SCHOL. Posita hacce idea generali, dicere possumus,
natura rei varia illi sic collocat; item pro' arbitrio
huius vel illius haec ita sint collocata. Vbi sup-
ponimus, quid natura rerum sit, quod optimo
praestare iure possumus, saluis omnibus regulis
definiendi, collocationem rerum, naturae illarum
consonam, *naturalem*, naturae earum dissontiam,
minus naturalem sive *contrariam* vocare possu-
mus.

§. 8.

Assumamus nunc, quod plurium eorum, quae
simul adsunt, varias constituamus classes, dispo-
nendo unius classis plura hoc modo, eodem
rursus varia alterius classis; tunc, quod ad hancce
collocationem (§. 6.), poterunt sibi inuicem sub-
stitui, saluis omnibus reliquis, adeoque conue-
niunt. Iam concipimus omnino quandam con-
uenientiam, seu, secundum philosophorum ter-
minos, idenditatem, quod ad dispositionem vel
collocationem, quae suam igitur rationem pe-

tit ex collocatione, et hinc ex ea nascitur. Idem vero in aliis negligere possumus.

§. 9.

Identitas ex collocatione nata, vocatur *ordo*; et ubi ea negligitur *confusio*.

SCHOOL. Videntur quidem in summa confusione, plura illa in eo conuenire, ut plane non sint ad idenditatem collocata, vt adeo et in summa confusione summus obseruari videatur ordo. At vero haec idenditas in confusis, non ipsa varia, sed eandem potius variorum confusionem spectat, ad quam hic minus respicimus.

§. 10.

Ordo non concipitur, nisi idenditas obseruetur, quae ex collocatione nascitur (§. praec.). Collocatio supponit determinationem dispositio[nis] (§. 7.). Dispositio exigit plura (§. 1.). Non nisi in pluribus de ordine, adeoque et de eius defectu, confusione, iudicium ferre possumus.

§. 11.

Vbi plura adsunt, ibi quodam, ut adsint modo, necesse est (§. 2.), adeoque quadam dispositio[ni] (§. 3.). Haec determinata dispositio sive collocatio, vel ad idenditatem quandam constituitur, vel minus (per princip. excl. medii). E. ubi plura adsunt, vel ordine, vel quadam confusione hic deprehenduntur (§. 9.).

SCHOOL. Sub disiunctione igitur haec iniucem poterunt affirmari, sed non determinate concludere licet: adsunt plura. E. certo ordine. Adsunt plura, E. in confusione. Possibile quidem est, ut praesenti-

sentibus pluribus, ea sint quodam constituta or-
dine, sed huncce modum concludendi vterius ex-
tendere, saluis regulis logicis, non licet.

§. 12.

Plura obiecta menti continuo sese fistunt
(per exper.). Hinc et cogitationes horum plu-
riū obiectorum mentem simul occupare que-
unt. Aptum nunc satis erit, vbi plura, inqui-
bus occupamur (§. 2.), restringimus ad cogi-
tationes, de quibus ea omnia valebunt, quae ge-
neratim de pluribus explicauimus.

§. 13.

Cogitationes plures, quae in mente simul re-
fident, certa gaudere debent dispositione (§. 3.),
quam determinare poterimus, siue eas colloca-
re (§. 7.), quae adeo, vel ad idenditatem quan-
dam formata est, vel minus (§. 11.). In pluri-
bus igitur, quae mentem occupant, cogitatio-
nibus vel ordo erit, vel nullus, siue confusio
(§. 9.).

§. 14.

Ordo cogitationum audit methodus.

§. 15.

Plures ergo cogitationes, quae in mente re-
fident, vel methodice, si ita loquias est, vel
non methodice, *āuerōdōs* sunt conceptae
(§. 13. 14.).

SCHOL. Quemadmodum possibile est, ut cogitatio-
nes omnes quodam ordine concipientur (§. 11. fch.),
ita nec repugnat, ut omnes cogitationes possint
āuerōdōs i. e. maxima confusione mentem oc-
cupare (*ibid.*) ; caueas tamen, ne pro ultima pro-
posi-

positione infinita, substitutas negantem, quae falsissima erit, scilicet, quod omnes cogitationes non possint methodice concipi.

§. 16.

Quod pro variis illis *iisdem*, ad quae collificantur cogitationes plures, varii cognitionum ordines, variae methodi concipientur, haud difficilioris indaginis consecclarium est.

SCHOL. Logici varias hasce methodos enumerant, quales synthetica, analytica, causalis, tabellaria, quaestioneeraria, dialogistica, megarica, sensuum, imaginationis sive memoriae, ingenii, rationis, demonstrativa, quibus appendicis loco annexunt, methodum tumultuarium, seu quodlibetarium, quo iure nescio; vbi enim omnia permiscuntur, summa mis confunduntur, ibi obscura satis est idenditas, ordo nullus, nulla methodus (§. 9. schol.); grauius enim illi foret labor, qui idenditatem determinare velit, ad quam cognitiones illae sint collocatae. Nos ultimam methodi speciem scilicet demonstratiuam nunc accuratius examinare constituimus.

§. 17.

Veritas vnius cognitionis firmata est, quando illius non contradictionem cum obiecto, quod cogitatur, ostendere possumus. Sed veritas duarum cognitionum seu idearum, in iudicio contentarum, stabilitor, quando praedicatum per ideam subiecti determinari confirmamus. Quum methodus plures simul ideas, quae dubio procul quandam inter se relationem habeant, necesse est, exigit (§. 15.), iudicia plura methodice ut proponantur, liquet, et vbi ad veritatem circa methodum simul respicitur, ibi tam ad veritatem idearum, quam iudiciorum sedulo attenditur.

§. 18.

§. 18.

Cogitationes illarum rerum, quas modo allegauimus, continent rationem veritatis tam idearum, quam iudiciorum (§. praec.). Adeoque sunt *principia cognoscendi veritatem viriusque*.

§. 19.

Reddere rationem veritatis, est *probare*: actus, quo id fit, *probatio*.

SCHOL. Secundum hancce generalem notionem, dantur probationes idearum, dantur iudiciorum et propositionum. Interim tamen ad propositiones specificatim restringuntur probationes. Nec haec definitio multum ab ludit ab illa, qua *probare* dicitur, aliquid ex principiis deducere.

§. 20.

Quomodo ideae, quomodo iudicia probari debeant, §. 19. coll. §. 17. docent.

§. 21.

Non contradicatio interdum eorum, quae ingrediuntur ideam, ita manifeste menti fese insinuat, ut ad ea varia omnia, inuicem seorsim accurate attendenda, nec tempus fallere, nec operam impendere, nec eam, quod maximum est, vlo modo compensari perspiciamus. Idem valet de praedicti per ideam subiecti determinabilitate (sit venia verbo).

§. 22.

Tunc *dubius* haeret animus, vbi nec veritatem nec facilitatem rei determinare satagit; cui opponitur *indubius*, qui vnum ex utrisque statim sicut determinare.

B

§. 22.

§. 23.

Quaecunque vel ideae vel iudicia eius sunt indolis, ut, simulacra ea concipimus, vel de veritate, vel de falsitate eorum conuicti sumus, ea sunt indubia: ubi simul sunt principia cognoscendi veritates aliarum rerum, tunc iure meritoque audiunt *principia indubia*.

SCHOL. Haec igitur pro certo veris habentur, in illis enim, ubi iudicamus falsam esse propositionem, verum conditum iudicium. Interim speciali significatu, principia indubia declarantur per talia, quorum veritatem intelligimus, simulacra illa concepimus.

§. 24.

Quarum veritatum ratio reddi nequit, eae ab omni probatione sunt remotae (§. 19.). Qua vero nulla prior, illius ratio reddi nequit; principium igitur absolute primum, siue contradictionis probari nequit, hinc eius veritas menti sepe adeo insinuare debet, ut aliud magis nullum: vocari ergo meretur principium absolute indubium. Aliarum rursus veritatum ratio quidem suppeditari poterit, quia una tantum est prima; sed quum sine operosa earum investigatione eas, quantum opus est, certa ratione cognoscere queamus, quumque, nec in viribus saepe sit, illam eruere, circa ipsam vero vel ideae vel iudicij veritatem plane non haereamus; ideo, licet possint probari, nulla egent probatio, et nos assumimus eas, ubi principia sunt aliorum inde cognoscendorum, tanquam principia indubia. Hinc est, ut quidam principia indubia dicant ea, quae nulla egent probatione.

SCHOL.

SCHOOL. Circa determinanda ea, in quibus demonstrativa methodus applicari potest, cardo rei versatur, in accurata determinatione principiorum indubiorum. Nucleum comprehendimus in nostro §. Nec iniuria discernuntur principia, quatenus assumuntur, ut indubia, et quatenus ex rationibus suis cognoscuntur, ut indubia. Dein rursus principia indubia, quatenus per se adesse debent et adfiant, et quatenus nos perspicimus et ostendimus esse indubia.

§. 25.

Deducere est legitimò modo concludere: is vero obtinet, quando per syllogismos veri nominis procedimus. E: in omni deductione minimum unus syllogistis sit, necesse est.

§. 26.

Deducere ex principiis indubii, est demonstrare: quid demonstratio sit, facile suppletur.

§. 27.

Ex vero non nisi sequitur verum. Principia indubia, veritatem minus absconditam monstrant (§. 23. sch.), quodsi illis addas nexum legitimum (§. 25.), tunc quicquid prodibit, certo verum erit; sed illud audit demonstrare (§. praecl.). Quicquid demonstratur, verum est.

SCHOOL. Quoniam significatu illud sequi accipiatur, Logices perit intelligent. Si ideam demonstratio- nis explicasssemus per deductionem veritatis ex principiis indubii, tunc fuisset abundans (per quem nostrum); si loco veritatis, substitueremus, propositionis, tunc fieret angustior, possumus enim veritatem ideac demonstrare (§. 19. schol.).

B 2

§. 28.

scorl. Chrys. ges. 28. 29.

Cogitationes illae plures, quae simul in mente adfunt, idenditatem quandam inter se ostendere queunt, quae ex collocatione nata, ordinem, et dein methodum constituit (§. 15.). Ponamus, quod series illarum secundum hancce idenditatem sit collocata, vt principia indubia assumantur, atque ex iis fiat deductio (§. 24. 25.); in altera serie iterum ex principiis indubitis deducitur veritas, in tertia rursus, et sic porro. Tunc hic ordo cogitationum, hacc methodus nititur demonstrationibus (§. 26.).

Methodus, quae nititur demonstrationibus, audit demonstrativa.

SCHOL. Quenam ergo ad methodum demonstrativum requirantur, abunde patet. Secundum duplicitatem idenditatem cogitationes demonstratae collocantur, prima, in eadem principiorum qualitate, altera, in eodem concludendi modo, quaerenda est. Vix illa alia methodus circa ipsorum principiorum qualitates seruet eam constantiam atque conformitatem, quam nostra demonstrativa. Lata nunc excurrendi in laudes et utilitates huius methodi materia proflaret, quas tamen Logici pluribus prosequuntur. Methodus demonstrativa synthetica et analyticæ, sunt species illius, in quibus proinde nota accedit determinatio et idenditas, conf. B. Corzini, amici, dum viueret, dilectissimi, Logicæ, c. II. §. 87, seqq. Variis demum nominibus pro diversis considerationibus insignitur, inter quae eminet, methodus scientifica, cuius denominationis rationem nunc subiungemus.

§. 30.

§. 30.

Ad quod praestandum sufficientes prostant vires, illius dexteritatem possidemus, quae dexteritas per exercitium leuata, habitum parit naturalem. Ut veritatem ex principiis indubius deducamus, eius sufficientes saepe prostant vires, quae per crebiorem horum actuum repetitionem leuari, duce experientia, queunt. Dexteritatem igitur, imo habitum demonstrandi acquirere, non repugnat.

§. 31.

Dexteritas, aut si maius, habitus demonstrandi, audit *scientia*, prout in *subiecto* deprehenditur. Ipfiae veritates demonstratae sunt huius *scientiae* obiecta, quapropter carum complexus audit *scientia obiective talis*.

§. 32.

Vbi cogitationes nostras ita disponere fatigimus, ut veritatem illarum ex principiis indubitis possimus deducere, ibi veritates nanciscemur demonstratas, nosque simul ostendemus, quod polleamus dexteritate, aut si compendio temporis vel operae id praestamus, habitu demonstrandi (§. 30.). Quum vero ordo cogitationum demonstrata ratione determinatus, audiat methodus demonstratiua, dexteritas vel habitus demonstrandi scientia, subiectiu talis, ipsae veritates demonstratae, scientia obiectiu talis (§. praec.). Per methodum demonstratiuum peruenimus ad utriusque generis scientiam, et ob id ipsum, audit *scientifica*.

SCHOOL

B 3

SCHOL. Vtilitates methodo demonstratiuae propriae, quaeue in Logices praeceptis demonstrantur, scientifcae, taquam eidem plane cum demonstratiua, possunt adiudicari, easque nude hic recensebimus.

§. 33.

- 1) Systema ea perficiunt, quae methodo scientifica proponuntur.
- 2) ad cognitionem certam ope huius methodi adspirare licet,
- 3) eamque solidam,
- 4) si semper eam possimus obseruare, infallibilis simus.
- 5) Controuerfiae per illam dijudicari atque decidi,
- 6) veritates illam inuenire,
- 7) quemlibet per illam continere possumus.

SCHOL. Hasce vtilitates demonstratas dedit laudatus modo *Corvinus*, l. c. p. 15-18.

§. 34.

Cogitationes significari per terminos, qui in omnibus conformari debent illis, in aprico positares est. Plures igitur cogitationes praesentes, plures ordinarie exigunt terminos, qui certa, ut gaudeant dispositione, dubium est nullum (§. 3.). Actum, quo per terminos exprimimus cogitationes, vocamus sermonem.

SCHOL. Facillima sunt consecutaria, quae inde sponte offeruntur; quorum palmaria in Prolegomenis fundamentorum meorum linguae Hebraeae, quae recens publici juris fecimus, §. 27, seqq. declaravimus.

§. 35.

Termini eorumque structurae, quibus cogitationes exprimari solent, vocantur *lingua* obiectiva talis, dexteritas vero sermonem formandi, *lingua* subiectiva considerata.

SCHOL.

SCHOL. Lexicographi student, horum instituere collectionem, quorum unicus is est scopus, ut linguam quoad terminos praefertim, monstrant conspicientiam, reliquos viss non excludimus.

§. 36.

Vna idea a variis gentibus vario modo, seu per diuersos terminos exprimitur (per exp.), ubi illos, quibus tu a puerò forsè astutissimis, terminos applicare semper volueris, ad explicandam tuam mentem; tunc apud permultos spe tua atque expectatione excides, quanta igitur necessitate iuxta atque utilitate credideris hancce tuam mentis communicationem, tanto certe ardore obstrictum te cognoscet ad acquirendam illius linguae dexteritatem.

§. 37.

Lingua Hebræa, obiectiue sumta est, complexus illorum terminorum eorumque structuræ, quibus Hebrei cogitationes expriment.

SCHOL. De hac ipsa in modo dictis Prolegomenis varia generatim enucleauimus. Quod illa sit mortua, ac in scriptis, praesertim sacro V. T. codice viuat, notissimum erit; num integrum Hebreorum linguam complectatur sacer codex, de eo nobis hic sermo nullus erit, satis habemus, ubi palmarium, imo unicum nostrum studium linguæ Hebreæ sit biblicum, in cuius solidioris cognitionis gratiam, quaecunque deum ex orientalium dialeictis ad verum linguæ sacrae sensum indagandum spectant, addiscimus: confer omnino fundamentorum nostrorum Hebr. Ling. §. 453. Vana proinde Benedict. Spinozae, non ultimi Philologi, querela,

Gram-

in Gram. Hebr p.23. *Plures esse*, inquit qui *scripturae*,
nullus vero, qui *linguae Hebraeae Grammaticam*
scripsiterit. Vnde liquet, quod Lingua Hebraeorum
 sacra non adeo late pateat, atque pauciora reliquis
 omnibus contineat linguis, quae breuitas, quantum
 attentis lectoribus creet difficultatem, quantum in
 accurata eius tractatione compendium, harum re-
 rum peritis luculenter constabit. Ob commercia
 quidem cum illis, qui Hebraeam linguam loquun-
 tur, quorum numerus adeo exiguis erit, ut eam ob-
 rationem inter mortuas referatur, opera preium
 non esset, ut terminos illius nobis reddere cogni-
 tios studeamus. At vero, quum partem reuelatio-
 nis, quam ob solidam salutis nostrae cognitionem
 intimo grati animi affectu agnoscere debemus,
 constitut, nec illius sine accurata illorum, quae
 in ea deprehenduntur, interpretatione veram cog-
 nitionem concipere queat, quae legitima interpreta-
 ratio ipsorum prius terminorum cognitam inter-
 iorem naturam praefrustrat: ideo, quum ad lin-
 guam Hebraeam hae pertineant, Theologorum
 praeprimis, quorum idea hisce veritatis multam
 foeneratur lucem, patet vrgens obligatio ad aequi-
 rendam Hebraeac singuae dexteritatem.

§. 38. Acquirere sibi dexteritatem seu habitum ser-
 monem formandi est *linguam addiscere*, si sermo
 est Hebraeus, *addiscere linguam Hebraeam*.

§. 39. Varia omnino ratione, ea dexteritas acquiri
 poterit: vnde et variis linguis addiscendi mo-
 di, sunt vero duo eorum praecipui. Alter, quo
 terminos eorumque combinationem addiscimus
 per cebriorem atque continuatam eorum praecipi-
 entiam, alter, quo ea, quae ad formandos et
 con-

construendos terminos requiruntur, secundum regulas linguae conformes, addiscimus, priori modo dexteritatem formandi sermonem acquirere, seu linguam addiscere quis dicitur, *ex usu*: posteriori autem, eam addiscere per *artem*.

SCHOL. Antiquiores Philosophi, quos imitantur et ex recentioribus nonnulli, artem dicunt, habitum cum recta ratione effectuum conf. *Aristoteles*, *Ethic.* L. VI, c. 4. *cum recta ratione* idem est, ac secundum regulas et dictamina rationis. *Effectuum* dicitur ille habitus, quia infert operationem, ad quam opus aliquod consequitur: *Aristocles* indifferenter viupauit nomen actionis et effectioonis, et utrumque arti tribuit: quo respectu etiam L.I. c. 35. *Magn. Mor.* artes diuidit in *aetiuas*, quae opus externum non relinquant e.g. ars saltandi, et in *effectiuas*, quae opus externum relinquant e.g. ars pictoria: num opus externum relinquant aut minus, id hoc loco minus curamus, res unica reddit ad dictamina rationis sive regulas, quae in qualibet arte occurunt.

§. 40.

Lingua, quae viva voce inter homines frequentis est, ex *usu* addisci poterit, si quis sonos, eorumque structuram ex aliis audiendo, memoria tenet, eosque accommodato tempore imitari, atque edere fatagit. Quae vero in scriptis modo vivit, ex *usu* ita addiscitur, ut cognitis signorum significatibus seu sonis, horumque rursus ideis, tam seorsim quam in nexus consideratis, ea tantum menti imprimentur, ac data rursus occasione iterum applicentur. Per artem vero utriusque conditionis lingua addiscitur, ubi attenti ad omnium, quantum possibile est, terminorum formationem aequae ac combinationem, examinemus idenditatem, atque di-

uersitatem illorum, quam dein certis exhibemus propositionibus, quae, vbi accurata nituntur linguae experientia, constantes erunt, ita, ut nos dirigere queant in legitima linguae formatione. Tales autem propositiones vocantur *regulae*, et quaenam dexteritas formandi sermonem per regulas acquiritur, illa per artem comparatur (§. 38.), adeoque problema illud, quomodo per artem linguae addiscendae sint, facili resoluuntur negotio.

SCHOL. Quo fieri poterit compendio, cuncta necessaria proponere instituti ratio exigit.

§. 41.

Cui sepe periculo exponat is, qui in Theoreticis potissimum ex sola tantum imitatione agendo, dictamina rationis negligit, constabit iis, qui modo norunt, quam vagae, lataeque sint viae erroris, vti vnica tantum regia, quam vt incedamus omnem naturae operam debemus. Sic quam dexteritatem, quem habitum formandi sermonem quandam ex vsu capimus (§. 39.), earum cognitio vel semper cum quodam dubitandi et errandi periculo combinata est, quod tamen felici successu declinare satagimus, vbi accuratum viae ducem, regulas intelligo rite cognitas (§. praec.), sequimur, adeoque linguas per artem (§. 39.) addiscendo, tutius sectamur praefidium, illo, quod vsus tantum nobis concedere poterit.

SCHOL. Quum regulae in linguis rite formatae, ex ipso totius linguae natura erui debeant, usum ab addiscendis per artem linguis eo minus separamus, quo illum magis constituumus fundamentum omnium

omnium regularum inde inuestigandarum. Nec ullum cuiquam dubium haerebit, circa diuersam tam in formandis, quam construendis vocibus cognitionem ex viu et per artem acquisitam. Mente enim recolas ea, quae de diuerso cogitandi modo Logices naturalis et artificialis doctores propounderunt, nec haud obscuram intelliges similitudinem, inter diuersam illius atque huius negotii cognitionem.

§. 42.

Regulae sunt *rite formatae*, si modus, ad quem conformanda sunt specimina, conuenit cum ipsis obiecti natura. Quae eam igitur minus continent perfectionem, facillimo simul determinari negotio queunt. *Regulae* in addiscendis linguis obseruandae, sunt legitimae, quae exhibent modum formandi sermonem cum iis, quae continent lingua, plane consonam, contraria ratione, contrarium explicatur. Hinc si quis accurate attendit ad ea, quae in formandis, quae in construendis terminis sunt eadem, quaeue diuersa: si ex accurate illa cognitione fructu propositiones, eam adaequate exprimentes; si iisdem dein vtritur, vt per illas in formandis et construendis terminis dirigi possit, tunc erunt regulae (§. 40.) in addiscendis linguis (§. 38.) rite formatae, vbi id minus obseruatur, regulae non accurate conditae.

SCHOL. Quomodo haec regulae, ita formatae proponi debeant, nunc prosequemur.

§. 43.

Linguæ existunt variae, earum igitur cognitione nititur experientia, et illa ipsa, quae in hacce

hacce cognitione continentur, experientiae sunt. Quae ex legitima sensuum cognitione tenemus, illorum veritatem in dubium minus vocare sollemus; et ubi in eadem cognitione deprehendimus rationem aliarum rerum inde cognoscendarum, ibi erit principium cognoscendi indubitum (§. 18. 23. 24.). Assumere igitur possumus ea, quae in linguis occurunt, veluti principia indubia earum rerum, quae inde probare (§. 19.) cupimus.

§. 44.

Propositiones quadam sunt formandae, regulae sunt perficiendae, cum ipsis, quae in linguis existunt, plane conuenientes (§. 42.). Earum autem veritatem probare possumus, quando rationem veritatis harum propositionum reddere possumus (§. 19.); ea vero redditur, quando praedicatum subiecto competere, vel non competere ostendimus ex idea subiecti (§. 17.), quod quam semper lingua sit, ex natura linguae. Sed quod maximum est, demonstrare veritatem illarum possumus (§. 26.). Adhuc principia indubia (§. praecl.), verus ubique prostat concludendi modis, sive deductio (§. 25.); adeoque regulae, secundum quas accuratiorem formandi sermonem acquirere possumus dexteritatem, demonstrari queunt.

§. 45.

In cogitationibus illarum regularum, secundum quas accuratior formandi sermonem dexteritas acquiri potest, ea idenditas (§. 7.), is ordo (§. 8.) obsernari poterit, ut eae demon-

stren-

strentur (§. 46.). Ordo cogitationum audit
methodus (§. 14.); et ea, quae nimirum demon-
strationibus, demonstrativa (§. 29.). Haec in
addiscendis (§. 38.) per artem (§. 39.) linguis
(§. 35.) applicari omnino poterit.

§. 46.

Methodus demonstrativa seu scientifica (§.
32.), non certum modo cogitationum ordinem,
sed ipsas simul res extra omnem dubitationis
aleam positas praefructu (§. 29. schol.). De cu-
ius igitur rei veritate certus aequa coniunctus
esse velis, id modo demonstrares (§. 26. et 33.).
Ut linguae per artem addiscantur, praefstantia
huius modi prae illo altero suadere videtur (§.
41.). Quaecunque lingua per artem addiscitur,
illius cognitio per regulas distincte perceptas, ac-
quiritur (§. 38. 41. schol.), quas, ut certo veras
calleamus, legitima earum formatio initungit
(§. 42.): certissimam autem eorum veritatem
per easdem demonstratas tibi comparare pote-
ris (§. praece.). Hinc *methodus scientifica in ad-
discendis per artem linguis* non applicari modo
potest, sed ut certiores, ut solidiores, ut accura-
tores euadamus, adhiberi deberet.

SCHOL. Ob multiplices illas utilitates methodi scienti-
ficae, in superioribus §. 33. enarratas, patet, *nus-
quam illam esse contemnendam in addiscendis per
artem linguis*, quod, ut demonstremus, plura haec
sumus prosecuti. Praefto sunt celeberrimi de ac-
curatiori linguarum cognitione meritisimi, imo
nullus seniorum principiorum amicus erit, qui me-
thodum scientificam, prout illam vindicauimus, ex
solida addiscendarum linguarum cognitione procri-
bet.

C 3

§. 47.

§. 47.

Quo accuratiori, in addiscendis per artem linguis, modo, generatim incedere possumus et debemus, eundem, ut in Hebraeorum lingua sive sacra adhibeamus, eo maiores sentimus stimulos, quo magis solida huius linguae tractatio coniuncta est cum insigni nostra utilitate (§. 37. schol.) Hinc methodus scientifica in addiscenda per artem lingua Hebraea omnino applicari potest, ac debet (§. 45.).

SCHOL. Vbi varia illa, in Hebraeorum lingua occurreria, comparamus cum iis, quae in plurimis aliis linguis deprehenduntur, tunc eorum numerus in hisce longe excedet illum, qui in Hebraeorum lingua conspicitur. Quum ergo non adeo ingens sit horum variorum numerus; quae proinde faciliori negotio inuicem comparari, et ex quibus regulae legitimae condi poterunt, idcirco non adeo difficultis erit labor, primo in *eruendis regulis*: et quicunque modo dexteritate gaudet ex principiis illis indubius veritatem earum deducendi, in iis demonstrandis. Quid igitur obest, quo minus methodus scientifica in addiscenda per artem lingua Hebraea applicetur, quin haec methodus *primariis* primo splendeat *praerogatiis* (§. 33.) quum dein applicari possit, et debeat, neque tertio difficultis *hac in lingua labor*, nos detineat.

S. 48.

Regulas ad recte formandam linguam, complectitur *Grammatica*. Si regulae demonstrantur, *philosophica*, si tantum proponuntur sine demonstratione, *vulgaris*. Regulas ad recte formandam Hebraeorum linguam complectitur *Grammatica Hebraea*. Si ea demonstrantur, *Grammatica Hebraea philosophica*.

S. 49.

Quis vñquam nunc in dubium vocet, quod regulæ illae, ex interiori linguae natura formatae, ac demonstrata ratione propositæ, possint simul comprehendendi? quis igitur dubitabit, de possibiliitate Grammaticæ Philosophicæ.

SCHOL. Quam multæ ac innumerae sere philologis sedent de eligenda in addiscendis linguis methodo sententiae, hisce minus comprehendi paginis queunt, quum nec duæ sufficiant paginas nominibus saltim horum virorum exhibendis. Quidam, omnes plane regulas in linguis addiscendis profcribunt, compendia temporis, vñm, et nescio quæ subdia breuiora commendantes, sed omnes hi contra nos non pugnant, superficiariam linguarum luentes largimur illis cognitionem. Necessitatem alii in allegandis regulis quidem agnoscunt, hasce vero pro auctoritate sine demonstratione statuunt, exceptionibus rursus, ipsius regulæ amplitudinem superantibus, negotium illud odio aliorum ita exponunt, vt non mirum sit, quare ludibrio tantum fuerit Grammatici nomen. Tacemus alias rationes, ex moribus Grammaticorum hue spectantes. Veneramus magnos a nostra parte viros, qui non defendunt modo generatim possibilitatem huius in addiscendis linguis methodi, sed qui non infelici successu eam in usum quoque deduxerunt. Quem fugiunt Grammatices vniuersalis autores, ex quibus palmarum facile praeripit acutissimus *Canzinius*, 1737. 4. Sic variae hanc in rem prostant quoque disserat. *M. Laur. Stenzlerus* de literis humanioribus, Grammaticam fanioris philosophiae principiis superstruendam esse, assert; *M. Iob. Ang. Ernesti* philosophia perfectæ Grammaticæ Lipsiæ 1737. prostat, et sub *Kelschii* praesidio Altorf. 1735. de utilitate methodi mathematicæ in docenda

da iuuentute, dissert. prodiit, quas allegavit doctissimus noster *Rechenbergerus* in tract. de methodo scientifica Grammaticorum, cuius non tantum tractat, sed totum quoque collegium fundamentalē graecum hoc referri meretur. Nec abs re erit, vbi alia adhuc proferimus testimonia, quae asserta nostra magis confirmant. Ita *Sanctii Minerua* seu de causis linguae Hebraeae Commentarius, strenue defendit rationes in linguis applicandas. L. I. c. 1. At inuasit multos, inquit, peruersa quedam opinio, seu barbaries potius, in Grammatica et sermone latino (alias substituere licet linguis), nullas esse causas, nullamque penitus querendam esse rationem: quo figmento nihil quicquam vidi ineptius, nihilque potest excogitari pusidius, et p. m. 5. eod. loco, non igitur dubium est, quin rerum omnium, etiam vocum, reddenda sit ratio: quam si ignorauerimus rogati, sicutem potius nos nescire, quam nullam esse constantem affirmemus. p. 6. Haec tam multa inuitus concessi, contra morosos quosdam, qui, quam in Grammatica rationem explodant, testimonia tantum doctorum efflagitant. Anno legerunt Quintilianum L. I. c. 6. init., qui sermonem constare RATIONE, vetustate, auctoritate, confusudine, scripsit. p. 8. Curtium allegat L. IV. Nihil potest esse diuturnum, qui non subest ratio. Reliquum est igitur, ut omnium rerum ratio primum adhibeatur, tum deinde, si fieri poterit, accedant testimonia, ut res ex optima fiat illustrior etc. Summe Venerand. Loescherus in causis linguae Hebraeae, historiam Grammatices Hebr. p. 163. ita terminat. Grammatica Hebraea perfectior, methodo tali conscripta sit, quae ad intimum linguae genium quadre, imo ex eodem planissime fluat, quaeque ad dissentium capitum, memoriae et accusationem debitam adaptata sit. Sit praeterea, quantum eius fieri potest (quia

(quia primam et simplicissimam linguam trahat),
simplex, nativa, regulis planissimis, exceptionibus
paucissimis constet etc. Num per aliam, nisi na-
turem nostram methodum, haec possint acquiri,
aliis ad iudicandum relinquo. Tantum.

DE
ANALYSI VOCVM HEBRAEA-
RVM RITE INSTITVENDA.

§. 50.

Laetum huncce nunc assumemus statum, quo
regulas ad recte formandam linguam omnes,
demonstrata ratione exaratas monstrare posse-
mus; harum proinde cognitio aut rursus est hi-
storica, id est, cognoscimus nude tantum, regu-
las esse huius vel illius lingue, aut distincte in-
telligimus rationem, ob quam habentur huius
linguae regulae, ita, ut sciamus accuratam earum
conuenientiam, cum ipsis linguae natura. Va-
nam et inanem in illa cognitione quidam qua-
reret gloriam, solidam vero in hac acquirit lin-
guae scientiam.

§. 51.

Quicunque rationes callere perhibet, ob quas
hae vel illae regulae sint huius linguae legitimi-
mae, ille terminos, eorum structuram ac utrius-
que naturam exacte sibi cogitare debet. Con-
firmet igitur per prolata exempla cuiusvis re-
gulae veritatem, inflantias, quae yniuersalita-
tem impediunt, remoueat, ex ipsis denique ex-
emplis eruat ea, quae ad constituantam et con-
firmandam regulam sunt necessaria.

D

SCHOL.

SCHOOL. Duplex hic sese prodit usus; primo enim ipsos terminos eorumque structuram talis sibi reddit familiarem, dein ipsas ea claritate et distinctio- ne cognitas regulas memoriae facilius mandare poterit.

§. 52.

Regulae ad rite addiscendam linguam conformantur variis in ipsa lingua praesentibus, hinc pro diuersis illis, quae in lingua discernuntur, diuersae erunt regulae, nec aliae vñquam allegari debent, quam quae ipsi negotio satis sunt accommodatae.

§. 53.

Si ad linguam requiras sermonem (§. 35.); ad sermonem plures terminos inuicem combinatos siue constructos (§. 34.), hosce vero terminos assumas scriptos siue eorum signa adesse exarata, tunc vbi quaevis diuersa eruere velis, quae in illis deprehenduntur, ibi tam in terminis sigillatim spectatis ac speciatim eorum scriptio- ne, quam in illis constructis occupatus esse debes, ac vbi legitimae cuiusuis generis iam ad- sunt regulae, eas, quae hoc faciunt, allegare summo iure poteris.

§. 54.

Actus, quo eruuntur ea omnia, quae in ser- mone deprehenduntur, vocatur eiusdem *Anal- ysis* generatim sumta; quando vero ad ea, quae ad formationem et constructionem terminorum qua talem pertinet, respicitur, *Analysis Grammat.*

SCHOOL. Secundum hunc significatum, Analysis tam in terminis sigillatim, quam in nexo spectatis, ap- plicari potest; hancce vocamus *totalem*, quae vero in

in terminis sigillatim consideratis tantum occupa-
tur, *partiale*.

§. 55.

Analysis sermonis Grammatica est *vera*, quando euoluuntur, et eruuntur, quoad enumera-
tas partes, ea, quae actu adiunt. *Erronea*, quando eruuntur talia, quae adesse creduntur,
reuera tamen non adiunt.

§. 56.

Qui ea omnia eruit, quae quod ad formatio-
nem et constructionem in sermone deprehen-
duntur, ille in accurato hocce negotio perspicere
poterit, num regulae iam constitutae consen-
tiantur cum illis ipsis, quae per experientiam obti-
nere deprehendimus (§. praec. et 51.). In Ana-
lysi igitur accurata de veritate regularum Gram-
matices (§. 48.), certus fieri poteris.

§. 57.

Lingua Hebraea in sacro praesertim codice
scripto viuit; continet terminos, certa ratione
constructos (§. 35.). Si eruimus ea omnia,
quae in sermone Hebraeo adfunt, tunc Analysin
Hebraei sermonis totalem instituimus, quando
partiale ex §. 55. schol. patet.

§. 58.

Per veram Analysin Hebraei sermonis Gram-
maticam, Hebraeae Grammatices veritas confir-
mari poterit (§. 57. et praec.).

§. 59.

Quarumcunque regularum applicatio nec-
tur cum illarum cognitione vniuersali, earum
praxis cum theoria connectitur.

D 2

§. 60.

§. 60.

Regularium ad recte formandam linguam cognitio est ea propositionum vniuersalium, quas continet Grammatica (§. 48.), simulac vero easdem eruis, ex ipsis terminis eorumque structura, tunc harum statim regularum applicationem ad casus obuios perspicis (§. praec. §. 51.). E theoriae Grammatices subuenit Analytis, tanquam Praxis.

§. 61.

Sola propositionum vniuersalium cognitio, quae suum robur, suam certitudinem et visum ostendit per adhibitam applicationem, non multum proficit, nisi adiungatur praxis. E. cum Grammatices theoria Analysis necessario coniungenda est. Id quod de lingua Hebraea praeprimis valet.

§. 62.

Quot varia in terminis, eorum signis, si ad L. H. respicimus, et structura possunt secerni, tot erui debent, ad ea sepe extendit Analysis (§. 54.). Si igitur generatim nouerimus, quicquid termini significat spectati, continent, si ea, quae dato casu, expressa sunt, callemus, tunc Analysis illorum, quolibet casu nouerimus instituere. Quomodo ea erui debeant, quae constructionem terminorum spectant, difficilioris sunt indaginis, ibi enim terminos, qui ad unam minimum propositionem spectant, colligere, ad modum, quo combinantur accurate attendere, ac illud, quod exprimendum est, iudicium eruere debemus: si illud simul detegere velimus, num aliarum lin-

guarum

guarum termini ad idem iudicium indicandum eodem modo sint coordinati, quo in hac lingua termini, tunc dispiciamus, per quosnam terminos et per quam terminorum dispositionem illud in alia lingua magis nota veratur, et ex vtriusque dein constructionis comparatione determinari poteris eiusdem conuenientiam et diuersitatem.

SCHOL. Haec omnia in linguae Hebraeae Analysis applicari poterunt. Missam hic facimus Analyzin constructionis, eam notissimam tantum prosequendo, quae singulorum terminorum Analysis vocatur.

§. 63.

In quolibet termino poterunt duo praesertim distinguiri 1) sonus, 2) eiusdem idea sive significatus. Ponamus signa termini adesse in oratione scripta, tunc, ea quae respectu horum eruenda sunt, in Analyzi termini plenaria locum sibi vindicant (§. 54.).

§. 64.

Ea, quae significatum termini spectant, euolui et eru- nequeunt, nisi sonus antea sit cognitus, qui ideas earum- que diuersitatem, licet non semper adaequate, determinat. Si scriptam orationem tibi concipis, tunc sonorum ad- sunt signa; quae adeo, prout decet, tibi cognita esse de- bent, ut, illis perceptis, sonos legitimos formare, ea, quae ratione signorum et sonorum obseruanda sunt, eruire, et inde ad ea, respectu significatus notanda, adscendere, sive veram termini Analysis (§. 54.) instituere quicquam.

SCHOL. Quum sonos, mediante scriptione, formare, audire, non immerit Grammatici primam in Analysis ne- gotium dicunt *Lectionem*.

§. 65.

Lingua nostram Hebraeorum in sacro codice scri- ptam habemus. Adeoque signa exarata oculos nostros feriunt, seu scriptio. Quum scriptio complectatur signa vocum, adeo earum praecipue partium, quae voces con- stituant, signa adesse debent. In hisce ruris, signis va- ria mutabilia ob commodum in iis formandis, ob alias in scribendo mores expressa esse possunt, quae ad sonum prox-

proxime non spectant, quippe, qui idem manet, sed ad alia. Vocales et Consonae sunt primariae vocum partes (§. 13. Prael. Gram. meae). Signa igitur Vocalium et Consonarum cuiuslibet vocis scriptae palmarium consti-tuant. Praeter ea deprehenduntur adhuc alia signa, quae partim sollicitam Hebraeorum curam de legitima vocis pronunciatione, partim alia exprimunt, quae ad vocum nexus vel separationem indicandam faciunt. Si haec omnia complectantur, sequenti ordine Analysis pleniorum instituamus necesse est. Euoluamus 1) significatum signorum, literarum et vocalium seu sonum earum, sigillatim considerarum, vbi simul, quae figuram literarum variatam, si quae adeat, spectant, erui poterunt: sono cognito, reliqua, quae circa literae naturam, originem etc. monenda veniunt, sequuntur. 2) Procedimus in euolutione ad Analysis sonorum ex literis et vocalibus, si plures adsint compositorum, sive ad eam syllabarum, vbi harum naturam, et affectionem, tonum scilicet inuestigare datum est; quaenam ob sonum syllabarum, rite formandarum, in scriptio signa prostant, excipiunt illam sonorum Analysis, per quam simul generalis, ut illam vocamus, termini Analysis finitur.

§. 66.

Termini indicant ideas, hae exprimunt ipsas res. Omnia vero obiecta, adeoque et eorum ideas reducere poterimus ad tres classes; nec igitur plures, neque pauciores terminorum constitui queunt. Hinc tria concipiuntur terminorum genera, et cum termini constituant orationem, ideo et tres iure optimo constituantur partes orationis, quae audiunt nomen, verbum ac particula.

SCHOL. Haec omnia hisce paginis demonstrare non necesse est, quum hancce dissertationem, uti prolixiam Grammaticae nostrae Hebreæ Philosophicae consideramus. Canzius in Gramm. vniuersali, et cit. Gram. nostra Hebr. a §. 306 - 319. seqq. pluribus de veritate harum propositionum te conuincunt. Quaenam alii de

de duabus modo orationis partibus somniant, hic non attingimus.

§. 67.

Eruendo igitur termini significatum, eruas oportet, num exprimat nomen, verbum aut particulam conf. §. 318. I. c. certo enim certius ex hisce tribus vnum dato casu obtinet, quodnam vero, id characteres seu criteria cuiuslibet generatim, quea P. II. c. 5, enarrauimus, et alia specialia declarant.

§. 68.

Ponamus te iam declarasse, qualem ideam terminus indicet, tunc, quia ille in oratione existit, omnimode determinatus erit, adeoque si e. g. nomen, si verbum esset, tunc ex omnibus illis determinationibus circa vel nomen vel verbum possibilibus, quaedam vt sint positae, necesse est. Hinc, vt breuius nos explicemus, is agendi modus non sine ratione suscipitur. Adeo in oratione nomen, adeo verbum, quodlibet cum multis determinationibus, vt genesin earum omnium distincte queamus intelligere, abstrahimus primo ab illis omnibus, atque terminum spectamus, prouti se habeat, sine omnibus istis circumstantiis, et quum vltterius atque simplicius procedere non licet, quam vbi ad ipsam, ex quo reliqua omnia deriuantur, radicem ascendimus, hanc eruendam quaerimus, vocemque reddimus tam simplicem, quam fieri poterit. Quo facto, determinaciones in eadem voce hoc loco expressas, addimus, atque reliquias conuenienti ratione instituimus mutationes; ita vt idem prodeat terminus, cuius genesin sive analysis iam plene intelligimus.

SCHOL. Maximo sane opere dolemus, quod ob angustiam temporis cogamur, totum Analyseos negotium ita nude et historice saltu exhibere. Proximus omnino noster erit labor, vt principia nostra Grammatices Hebraeae aliis reddamus familiaria, per multa specimina Analyseos, quibus philosophicam eius tractationem praemittimus. Eo enim modo, quo Analysis inſtituta

instituimus, omnia L. H. rudimenta suavi nexu repeti queunt.

Prima Analysis cuiusvis vocis, versatur circa signa vocalium et literarum, harum sonos, organon, species conf. Sect. III. P. I. c. I. Gram. eaque omnia per demonstrationes ex ideis.

Analysis altera versatur circa ipsam vocem, respectu syllabarum, num plures, aut una, quot, quales §. 137. l. c. num tonus adsit, vbinam etc. quaevis ex ideis applicatis.

Analysis tercia, complectitur signa alia in scriptione, praesentia, quarum doctrinas Sect. III. L. I. c. I. demonstrat.

Analysis demum *quarta* significatum spectat, qualis idea, num nomen, vel verbum, vel particula, suo quodlibet sensu : et ubi ex criteris unicum determinatur, tunc demum incipit accurata, atque per rationes continuata omnium determinationum evolutio ; quas us singularis rite intelligamus, simplicissimum primo assumimus. et ea dein, proprio marte, secundum regulas nostras, quae tamen non interrupiae magis sunt demonstrationes, ea exprimimus, quae significanda sunt, et ita eas tantum sequuntur, terminum formamus plane eundem, cuius genesis et *Analysis* quaesivimus ; manifesto indicio, quod regulas plane conueniant cum illis ipsis, quae in lingua deprehenduntur. Viderur quidem haec *Analysis* prolixior, at vero, qui habitum in hisce sibi acquirit, per nudas propositiones, brevi temporis momento, ad unguicem cum rationibus plenioram istam vocum callet genesis formandam.


Valeas Ben. Lector, nostrisque conatibus fauas.

FINIS.



01 A 66 13

R




01 A 6613



f

5b.



DISSESSATIO PHILOSOPHICO-PHILOLOGICA

DE
METHODO SCIENTIFICA
IN ADDISCENDIS PER ARTEM
LINGVIS HAVD CONTEMNENDA
ET DE
ANALYSI
VOCVM HEBRAEARVM
LEGITIME INSTITVENDA

Q V A M
A. D. G.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
WILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA.
RIA E GVESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET
WITTGENSTEINII RELIQUA
CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
SVB PRAESIDIO
FRIEDER. CHRISTIANI KOCHII
PHILOSOPHIAE MAGISTRI
TVEBITVR
SAMVEL HENOCH FRIDERIC. NEVBAVER
SONNEW. SAXO
SANCTIORVM DISCIPL. CVLTOR.
D. XII. MAI. A. C. LOCO CONSVENTO.

LENAE LITTERIS CROEKERIANIS, MDCC XXXX.